

veniam te mereri. Omnis enim qui agit aliquid, nisi prius  
45 persuasum habeat quod ei prosit illud quod agit, nec  
prompte id faciet nec competenter; verbi gratia, qui  
seminare vult fruges nisi confidat et certus sit ad futu-  
ros imbres germinaturam terram, fructus maturandos,  
numquam colliget messem? Sic ergo nemo in vanum  
50 laborem gestit expendere, nemo operam consumit in id ex  
quo nihil sit lucri quaesiturus. Ita et qui verba seminat  
in confessione peccatorum, insuper et expendit fortassis  
et lacrimas, si non spem gerat veniae promerendae, nec  
desinere a peccatis poterit, nec vinculis pessimae despe-  
55 rationis absolvi, sed sicut colonus ille qui de colligendis  
frugibus desperavit, nihil curae adhibebit ut aut aves de  
segetibus depellat aut pecudes aut si qua sunt quae  
nocere frugibus possunt, ita et qui in lacrimis quidem  
seminat confessionem, nec tamen aliquem se ex ea fruc-  
60 tum consecuturum sperat, nihil omnino fugat aut repellit  
a corde quod corrumpere possit paenitentiam. Corrum-  
pitur autem paenitentia si eisdem quis pro quibus confi-  
tetur, rursus involvatur malis. « Unus enim, inquit, aedi-  
ficans et alter destruens, quid consequentur nisi labo-  
65 rem, et qui baptizatur a mortuo et iterum contingit  
mortuum, quid proficit in lavacro suo? Ita et homo qui  
ieiunat pro peccatis suis et iterum vadit et eadem agit,  
orationem eius quis exaudiet? » Et iterum dicit: « Qui  
redit a iustitia ad peccatum, Dominus praecipitabit eum  
70 in gladium. Et sicut canis cum revertitur ad vomitum